Ordonnance
De henry de villars

Qui augmente le prix des nouvelles monnoyes à cause de la dizette des bleds dans le dauphiné, sans rien changer au poids, ny à la loy des d. Espéces.

Du 2. 7.bre 1346.

Henricus de villariis Locum tenens, &c. Dilecto nostro Judici Vienn. vel ejus Locum tenenti, salutem. Nos attentâ communi utilitate Principis, et Subditorum totius Dalphinatus, praesertim quia gentes et Subditi praedicti, hoc praesenti anno bladis, et aliis fructibus nimium carerunt, deliberato consilio duximus ordinandum quod nova Dalphinalis moneta quae cusa est, cuditur, et cudetur, ponatur et cursum habeat, nil mutato in pondere vel ligâ, per modum, et cursum infrà scripta, videlicet florenus ordinatus poni pro viginti quatuor Solidis dictae novae monetae, ponatur, et cursum habeat pro triginta Sex Solidis.

Itém, Denarii albi, ordinati poni pro quin-decim denariis, ponantur quilibet pro viginti duobus denariis cum obolo: Itém, Denarii albi currentes pro quatuor Denariis, ponantur et cursum habeant quilibet pro Sex denariis, Itém, Denarii nigri ordinati poni pro duobus denariis, ponantur, et cursum habeant quilibet pro tribus Denariis. Itém, Denarii nigri ordinati poni pro uno Denario, ponantur et cursum habeant quilibet pro tribus obolis. Itém; obolus dictæ novæ monetæ cursum habeat pro tribus pittis: undé vobis tenore præsentium expressé præcipimus, et mandamus quatenús in continenti per Castra, villas, et loca singula vestræ Judica-turæ præconizare, et notificare voce præconis faciatis ne quis, &c. Datum Gratianopoli die 2a. mensis Septembris, anno Domini 1346. per Dominum in Consilio, assistentibus Dominis Episcopo Gratianopolitano, amblardo Dom. Bellimontis, amblardo de Briordo, Stephano de Ruffo, R. falavelli, Guillelmo de Royno, francisco de Revello, Gerio de Jmola, G. De manso, et Raym. Aivenis; G. f. f.